

Borealium Provinciarum Regiones observantur.

Sinæ Boreales, natura hebetiores aliquanto & minus acuti Australibus, sed militari virtute longe superant. ita nostrorum in hanc urbem Regiam adventu constare denique certo cœpit, quod jam diu opinati fuerant, hoc regnum illud ipsum esse, quod *magnum Cataium*, apud aliquos Auctores appellatur, & hanc urbem Pechinensem Regiam esse illius, quem *magnum Can* vocant, qui nunc est Rex Sinarum. quæ urbs ab iisdem *Cambalu* nominatur. Id ne cui incredibile videatur, probare nunc aggredior. Ac primum quidem indicium, quo in ejus rei conjecturam diu incideramus, ex eo collectum est, quod illi ipsi Auctores, qui de hoc vastissimo Regno Cataio aliisque Sinarum Provinciis scripserunt, asserebant illud ad hanc mundi plagam Persicis Re-